




1. Montanus, G... ..  
2. ... ..  
3. ... ..  
4. ... ..  
5. ... ..  
6. ... ..  
7. ... ..  
8. ... ..  
9. ... ..  
10. ... ..  
11. ... ..  
12. ... ..  
13. ... ..  
14. ... ..  
15. ... ..  
16. ... ..  
17. ... ..  
18. ... ..  
19. ... ..  
20. ... ..







16  
1.  
2.  
C  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
16  
1.  
2.  
3.





1647.

1. Moebius, Gethoperus: De phrenitide.
2. Richter, Christophorus Philippus: Expositio auth. habita  
C. de filiis pro patre.
3. Richter, Christophorus Philippus: De Tutelis.
4. Richter, Christophorus Philippus: De remediis processu-  
riis, or interdictionis competentibus.
5. Richter, Christophorus Philippus: De jure retentionis.
6. Schelhammerus, Christophorus: De phtisi.
7. Schelhammerus, Christophorus: De peripneumonia.
8. Schelhammerus, Christophorus: De angina.
9. Stuve, Georg Adam: De jurisdictione, in jus vocando,  
Censu, satisfactionibus, feriis et dilationibus.

1648.

1. Moebius, Gethoperus: De mania seu insania.
2. Richter, Christophorus Philippus: De collectis.
3. Richter, Christophorus Philippus: De constitutione febris.



1648

4. Richter, Christophorus Philippus: De jurisdictione.
5. Polpinck, Wernerus: De scorbato.
6. Stunne, Georg Adamus: De successore obligato vel libero.
7. Thomas, Johannes: De prodigo.
8. Thomas, Johannes: De occupatione bellica.
9. Ungepaw, Erasmus: De jure principum in privilegiis.
10. Unrath, Joh. Casparus: De conceptione et jure ventris.
11. Unrath, Joh. Casparus: De jurisdictione ecclesiastica, nobilibus imperii, vigore Constitutionis de pace religionis, in districtibus. . . . . illorum . . . . . competente.



ll

na


u

as

r









12908

1647/3

3

23

D. T. O. M. A.  
DISPUTATIO JURIDICA,

DE  
**TUTELIS,**

Quam  
Consensu & autoritate Magni-  
fici, Nobilissimi, & Amplissimi JCorum Ordini-  
nis, in Illustri celeberrimaq; Salana  
Universitate,

P R Æ S I D E

*Viro Amplissimo, Excellentiss. atq; Consultissimo,*

**DN. CHRISTOPHORO PHI-**

**LIPPO Richtern / Jcto, & P.P. cele-**

berrimo, Consiliario Saxonico gravissimo, Facultate

Jurid. Seniore, Curiae Provincialis & Scabinatus Ad-

fessore meritissimo, Domino Patrono, Pro-

motore, ac Praeceptore suo summâ animi

observantiâ atatêm colendo,

*In Amplissimo Jctorum Auditorio*

*placide ventilationi submittit*

**CHRISTOPHORUS SIGISMUNDUS HEBERLINUS,**  
Ratisponensis.

*Die Junii, horis consuetis.*

A N N O

M. DC. XLVII.

JENÆ Typis STEINMANNIANIS.






100

3

Handwritten text, possibly a title or list, mostly illegible due to fading and bleed-through.







Συνὸ τῶ Θεῶ.



Utelarum materiam utilissimam, subtilissimam, & usu frequentissimam esse, nemo Jctorum est, qui cum *Ulp. l. i. pr. ff. de Min.* non affirmet, præsertim tumultuosa nostra belli tempestate, & sæviente Martis rabie, qua multorum salus tenui filo suspensa penderet, cives trucidantur, & orphanorum, proh dolor! numerus, quem vix quis enunciare tentet, relinquitur. Motus igitur & utilitate & necessitate hujus materiæ, eam in Præsenti Disputatione pertractare mecum constitui, certâ methodo, & quidem qua fieri potest, non qua par est, amplitudine & elegantia. Id ipsum antequam suscipio, DEUM ter Optimum ter Maximum pupillorum minorumvè Patronum supplex veneror, ut omnipotenti dextera mihi adesse, & regimine sancti Spiritus conatum meum dirigere velit, ut quicquid studii sit, in ipsius gloriam, Patriæ emolumentum, meumq; commodum vergat.

#### THESIS I.

In omni, quæ recta ratione suscipitur de re quapiam institutione & discursu duo consideranda veniunt, ὀνοματολογία (a) & πραγματολογία (b)

(a) Auspicandum esse à nominibus, Præceptore Scaligero, docemur, *Exerc. 359. sect. 1.* quia usu nominis ad rem sæpissimè perducimur. *Exerc. 1. sect. 1.* Imò non possumus res ipsas, nisi accuratam verborum curam habeamus, percipere, *Obrecht diff. 9.*

A

6. 2.



*de. n. ch. 3. de transact.* Sunt enim instrumenta. *Cic. 1. de off.* & notæ  
*Aristoteles de interpret. c. 1. 2.* quæ ad plerosq; juris textus enodan-  
dos inserviunt. *Gell. 13. Noct. Attic. c. 10.* Licet rerum potior, prior  
tamen verborum habenda est ratio, *arg. l. 1. ff. de Just. & jur. Rein-*  
*king. de reg. sec. & Eccl. l. 1. class. 1. c. 1. n. 1.*

(b) Quæ in ipsius rei tractandæ accuratissimè inquirat in-  
dolem atq; essentiam; & est ipsa definitio, à qua inchoandum.  
*Cic. lib. 1. off.* ut intelligatur quid sit, de quo agitur. *Kirchn. de le-*  
*gat. lib. 2. c. 1. n. 1.*

## Th. II.

Mihi itaq; Tutelarum materiam ventilan-  
dam, examinandâq; proponenti, nominis enu-  
cleatio sese offert; & quidem Etymologia (a)  
& Homonymia. (b)

(a) Dicitur Tutela à tuendo, quia per hanc defenditur atq;  
tutetur (1) filius, qui orbatus parente, exiit quidem potestate, &  
sui juris effectus, *pr. Inst. quib. mod. Pat. pot.* ejus tamen adhuc est  
ætatis, ut se defendere nequeat, *§. 1. Inst. de Tut.* (2) bona ejus per  
consequentiam, *l. 7. §. 3. ff. pro erato.* Inde Tutores nomen acce-  
pere, qui dicuntur Tutores quasi Tutores, *§. 2. Inst. h. s.* & defen-  
sores, *l. 2. C. quand. mul. off. Tut.* Tutor heißt als viel als ein Vor-  
mund und Beschirmer / denn er sol die unmmündigen Kinder be-  
schirmen / die sich vor Vnmacht ihrer Vernunfft und Leibes nicht  
selbst versorgen mügen. *Gloss. ad Weich. c. 26.*

(b) Ut ab hac errorum nutrice nos liberemus, docet *Scal.*  
*Exerc. 145. sect. 4.* Varias autem vocabulum Tutelæ habet signifi-  
cationes, (1) in genere significat omnem defensionem & custo-  
diam, *l. 1. Cod. de V. S. Corporis, l. 3. ff. de Just. & jur. rerü, puta Via.*  
*Liquidam: 30. de legat. 2. ædificiorum. l. fructus. 7. S. ult. ff. Solut. mat.*  
*Dotis, l. p. ff. de imp. in reb. dot. fact.* Civitatis, *l. 1. §. 2. ff. de Cloac.* in  
sua latitudine curatorem complectitur, *l. 11. ff. de Min. l. Pater: 101.*  
*§. 2. ff. de Cond. & Demonstr.* (2) in specie omnem defensionem atq;  
tutionem, quæ à Tutore præstatur pupillo, *tot. tit. Digest. & Cod.*  
*de test. Tut.* in qua specifica significatione, cæteris amandatis, no-  
men tutelæ acceptum volumus.

## Th. III.



Th. III.

His ita Prælibatis, ad ipsam rem, & definitionem quidem progredimur. Est autem Tutela vis (a) atq; potestas, (b) in capite libero, (c) ad tuendum (d) eum, qui per ætatem se defendere non potest, (e) jure civili data (f) & permessa. (g)

(a) Substantias definiri per materiam tanquam per genus, per formam tanquam per differentiam specificam, Accidentia verò per formam tanquam per genus, per materiam tanquam per differentiam specificam, docet Zabarel. l. 4. c. 14. de method. Cum autem & hæc nostra definitio sit accidentis, in qua ut forma, materia, efficiens & finis contineatur, requiritur, haud immetitò Imperator formam, quæ est vis & potestas, generis loco posuit. Intelligimus autem vim non tyrannicam, in atrocitate & violenta potestate consistentem, sed amicabilem, & dispositivam defensionis & administrationis facultatem, jure & legibus tutori concessam.

(b) Non insolens in jure nostro hæc phrasis est; sicut enim alias hæc duo vocabula tanquam affinia & idem significantia, multoties declarationis causa conjuncta videmus, l. 17. ff. de legib. l. 1. de Noxal. act. §. 3. Inst. de interd. l. 7. C. de Codicil. etiam apud authores classicos, Terentium in Heaut. Cæsarem lib. 6. de Bell. gall. Ciceronem de nat. Deor. & in lingua vernacula, qua dicimus, Macht und Gewalt etwas zu thun. Ant. Matth. in not. ad Inst. tit. de Tut. ita non ineleganter hic quoq; conjunguntur, ut per posterius prius declaretur, quemadmodum manus per potestatis adjectionem; l. manumiss. 4. ff. de just. & jur. §. 1. Inst. de libert. Borch. ad pr. h. r. vid. Rittersh. ad pr. Inst. de Tut. Quia verò potestatis vox ὀμὸνμα est, eam nō accipimus sicut in princ. hujus tituli, ubi negatur pupillū esse debere in potestate, ibiq; intelligitur Domini- ca vel Patria, sed in latiori significatu, quo tutor nihil juris in personam, sed ad personam habet, quod consistit in autoritate defendendi, gubernandi pupilli mores, res atq; bona: Eam scil. intelligimus potestatem, non quæ comparata est eorum causa,



qui eam habent, ad quos omne commodum eorum, qui sunt in potestate redit, sed talem, quæ pupillorum causa comparata est, qua sicut tuitio, ita omne commodum ad utilitatem pupilli refertur: Est enim Tutela procuratio Reipublicæ ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa gerenda est. *Cic. lib. 1. de offic.* Et duo hæc verba, quæ pro Synonymis habentur, & perspicuitati inservientibus, definitionem nostram non labefactant, teste *Aristot. 2. Phys. 1. tit. 3.*

Fallunt & falluntur ii, qui pro hoc genere reponunt aliud, & pro vis & potestas legere malunt jus & potestas, ut facit *Theophilus, Harmenopolus*, quos sequuntur *Treutlerus, Wesenbecius, Vultejus*, quasi jus magis exprimat Tutelæ essentiam: Nos rejecta illorum opinione vulgatæ textus lectioni inhærentes, per §. 2. *f. b. t.* ubi postquam definita fuerat tutela in §. 1. eadem verba repetuntur in d. §. 2. argumentamur cum *Bachov. ad Tr. Vol. 2. disp. 8. th. 1. lit. B.* Si Tutores rectè dicuntur propter tutelam, quam gerunt, vim & potestatem habere, etiam Tutela vis atq; potestas appellari poterit: Quid? Si vis sumatur pro virtute & efficacia juris, potestas pro autoritate & facultate, quis non videt genus ab Imperatore positum æquè ac jus Tutelæ naturam satis exprimere? neq; enim adeò hoc sicut illud ambiguum est, quod testatur *Lult. ff. de Just. & jur.*

(c) Alii hæc verba ad Tutorem, alii ad Pupillum, alii ad utrumq; referunt. Nos missis aliorum opinionibus hæc verba de pupillo intelligenda esse malimus. Posita forma loco generis in accidentis definitione ponitur causa materialis loco differentia specificæ. Causam autem materialem Tutorem esse posse, negatur, quia non ut pars constituit Tutelam in abstracto consideratam, sed constitutam jam accipit: si non constituit, quæ potest esse differentia specifica? cum in ea, ut rem constituat, requiratur. Et quia omnis causa materialis ad suam formam se habet passivè, prout ex propriis causæ materialis liquet, patet, Tutorem causam materialem esse non posse, qui non administrationi subditus, sed ipse administrat, & autoritatem, quam vel mediatè vel immediatè à jure civili accepit, tanquam formam communicat, §. 2. *f. b. t.* Affirmatur autem de pupillo, qui Tutelam in abstracto



cto constituit, & se habet tanquam subjectum passivum ad suam formam. Et quia pupillus formam, quam communicat Tutor, recipit tanquam materia in qua, sponte fluit, nostram definitionem constructione non laborare, ut ex aliis accidentium definitionibus liquet.

Nec minus rationes juris firmissimæ ad nostram stabilendam sententiam faciunt. Caput liberum in jure nostro dicitur, quod propriæ potestatis, proprii arbitrii, & sui juris est, nulliusq; juri & potestati subjectum, *argumento l. 195. ff. de V. S.* quale requiritur in pupillo *l. 6. §. 4. l. 14. ff. de Tut.* quia potestati subjectus Tutore indigere non videtur. At cum quis non sui juris, sui arbitrii, in potestate constitutus, Tutor esse possit. *pr. Inst. qui test. Tut. l. 4. ff. de hi qui sui vel alien.* omninò verba hæc non ad Tutorem, sed Pupillum erunt referenda. Et quid opus est, ut nostra differentia specifica referatur ad Tutorem, quia per genus & causam efficientem in definitione positam, satis apparet, servum uti aliorum munerum civilium, ita & hujus incapacem esse. *l. 7. C. qui dare Tut. l. 32. ff. de R. J. Bach. ad Treut. vol. 2. disp. 8. th. 1. lit. C. Magn. Dn. Ordin. D. Erasmus Ulugapaur, Præceptor & Mæcenas meus honoratiss. Exerc. 4. quest. 1. & Nobiliss. Dn. D. Struve Præceptor & Patronus ætatem devenerandus, Prælect. Publ. Inst. de Tut. ad §. 1.*

Neq; tamen negamus, hæc verba etiam de Tutore intelligi posse, cum Tutela liberorum hominum sit propria, & tam in pupillo requiratur caput liberum, (pro ut dictum,) quam in Tutore, (qt. & opponitur servo.) Competunt igitur verba hæc Tutori, quatenus Tutela consideratur activè, ut §. 2. *J. h. 1. pupillo*, quatenus consideratur passivè ut in nostra definitione. Exinde liquet, neq; servo nisi pro libero habeatur, *l. 17. de Tut. & Cur. dat. l. 1. C. qui dare Tut.* Et favore libertatis futuræ. *l. si impub. 13. ff. de Tut. & Cur.* neq; filio familias, *l. si arrogati. 14. ff. de Tut. l. cum filiusfam l. 28. de test. mil. l. si putas. 6. C. de petit. hered.* Tutorem rectè dari, in tantum, ut ne ei quidem, cujus pater ab hostibus captus est, quia post reversionem recidit in potestatem patriam, *l. muto. 6. §. f. de Tut. Non obst. l. ult. C. de sentent. passu.*

(d) Progreditur Imperator expositis causis internis, materiali & formali, ad externas, quæ præter internas definitionibus



bus accidentium sunt inferendæ, & quidem ad finalem. Finis autem primarius est, ut Tutor pupillum indefensum non relinquat, docente Marcello. l. 30. ff. de admin. Tut. exinde enim Tutor dicitur, ut tueatur atq; defendat eum, qui se tueri & defendere nequit. Quo sine cura à Tutela discernitur: illa principaliter rerum administrationem. l. in copulandis. §. C. de Nupt. & per consequentiam personam respicit, hæc primariò in defensione personæ, l. 14. l. cert. ar. 12. ff. de test. tut. secundariò in rerum administratione quiescit, tot. tit. Digest. de admin. & peric. tut. pr. Inst. de curat. §. item tria. §. ff. de Excus. Tut.

(e) Quia propter solam ætatem Tutela defertur, differentia rursus promanat tutelæ & curæ, curam enim non propter solam ætatem sed morbum animi deferri videmus, t. t. de curat. fur. §. & furiosi. 3. & 4. ff. de curat.

(f) Quæ verba nequaquam cum Vultejo ad §. 1. ff. h. t. rejicienda censemus, optima enim ratione transgreditur Imperator, exposita una causa externa finali ad efficientem, quæ etiam accidentium definitiones ingrediatur, teste Kekerm. l. 1. Syst. leg.

(g) Ut legitima, quam Lex XII. Tabb. immediatè absq; ullo facto hominis interveniente defert proximis agnatis & consanguineis. l. 6. de legit. agn. tut. pr. Inst. d. t. l. legitimo. §. pr. eod.

(h) Ut testamentaria. Permittit enim lex XII. Tabb. ut parentes liberis, quos habent in potestate, testamento dent Tutores. l. 1. pr. ff. de test. tut. l. verbis. 120. ff. de V. S. Et Dativa, quam postea necessitate svadente, legitima & testamentaria deficientibus, Magistratus, quibus cura pupillorum non immeritò assignatur, dabant, legibus Attilia Julia Titia, & constitutionibus Principum. §. sed & his legibus. Inst. de Attil. Tut. & præsertim Justiniani. §. nos a. ff. eod.

Hic quæritur: an Tutela sit juris naturalis, an juris Civilis? Et dicimus, eam simpliciter & absolutè consideratam descendere ex Jure naturali. Naturæ enim conveniens est, ut is, qui perfectæ ætatis non est, alterius tutela regatur. §. 6. Inst. de Attil. Tut. Et plerasq; gentes observasse, extra dubium est. Respective verò & determinatè ad Rempublicam Romanam, quatenus novis qualitatibus induta, & specialibus effectibus confirmata,

mata,



maria, Juris Civilis ac Romanorum propria est, perinde ac Paterna potestas, quæ à natura quidem introducta, sed postea jure Civili adaucta, & moribus aliter atq; aliter temperata fuit. §. 7. *J. de Pat. Pot. l. pronuntiatio. 195. § familia ff. de V. S.*

Th. IV.

Definitione præmissa, divisio sese perlustranda offert. Est autem Tutela vel Testamentaria, vel legitima, vel dativa.

Fundatur hæc divisio *l. 4. C. qui dare tut. l. ult. C. de legit. tut. l. 7. ff. Rem-pup. salv. fore & serie titulorum, Instit. Digest. Cod. de test. tut. Legit. Tut. & Tut. à Mag. dat.* Olim quidem teste Ravardo dividebatur in pupillarem & muliebrem: hodiè tamen muliebris, quæ dabatur lege Claudia, sublata est. *l. 3. de legit. Tut. Rittersh. ad Inst. §. 3. tit. de tut.*

Magis placet hæc divisio, quàm *Vultej lib. 1. Jurisprud. Rom. c. 25. & Cujac.* qui tutelam in legitimam & dativam dividunt, hancq; vel testamentariam vel honorariam constituunt; Testamentariam enim potius permissam esse à Jure Civili quàm datam §. 3. *Inst. de tut.* docemur. Imò hac divisione admessa omnis Tutelarum ordo inverteretur.

Th. V.

Testamentariam autem primum locum occupare explorati juris est, (a) cui succedit legitima, (b) illi demum dativa. (c)

(a) Quamdiu enim Tutela ex testamento speratur, tamdiu alia cessant. *l. si quis. 11. test. Tut. pr. J. de legit. agnat. Tut. l. 9. §. 1. ff. de Tut. & rat. dist. l. 89. de ff. R. J. l. antequam. C. commun. de success.* Provisio enim hominis tollit provisionem legis. *Bald. in l. f. C. de pact.* Et cum nullus affectus paternum vincat. *l. f. de Curat. fur.* non verisimile est, quempiam diligentius prospecturum esse liberis. *l. 3. §. 1. de admin. & peric. Tut. l. 7. pr. C. de cur. fur.* Ut enim hæres institutus excludit venientem ab intestato, ita tutor testamentarius legitimum. *l. quamdiu. 89. ff. de R. J. l. quamdiu. 39. ff. de acquir. hered. l. 2. Cod. unde lib. vid. Nobiliss. Ampl. Dn.*



*Dn. Præsidi, Patroni aviteruum denerandi, Var. jur. Decif. p. 2. Dec. 12. n. 3. 4. 5.*

(b) Ex lege XII. Tab. quæ defertur agnatis, quia successionis spes in iis est, ut tueantur bona, nec dilapidentur. *l. 1. de legit. Tut.*

(c) Quamdiu cessat legitima, quando speratur testamentaria, tamdiu cessat dativa, dum speratur legitima. *l. si quis. ii. ff. de test. Tut.* & Magistratus de iis, quibus, vel testamento vel lege prospectum est, prospicere non tenetur. *d. l. ii.*

#### Th. VI.

Testamentaria Tutela (a) est, quando Pater (b) liberis impuberibus (c) in potestate constitutis, (d) & non in potestatem alterius recasuris, testamento dat Tutores.

(a) Dicitur testamentaria tutela, quia ex testamento & codicillis testamento confirmatis, citra aliud adminiculum, vires accipit. §. 3. *f. b. t.* ut autem vires accipiat, requiritur, ut testamentum sit justum, perfectum, omnibusque modis completum: Imperfecto enim testamento dati Tutores per se non subsistunt. *l. 3. ff. de confirm. Tut. l. 2. C. eod. l. 1. de jure Cod. l. 11. §. 1. de Legat. 3.* Sin pater sine testamento, aut testamento, imperfecto tamen, vel codicillis testamento non confirmatis dederit tutorem, decreto judicis opus est. *l. 1. §. 1. ff. de confirm. Tut.* citra tamen inquisitionem. *l. 3. ff. de confirm. Tut.* atq; ita tutela testamentaria in aliam speciem, dativæ sc. mutatur, accedente alia forma.

(b) Causa efficiens hujus Tutelæ remota est jus Civile, Lex XII. Tab. *uti quisq; leg assit super pecunia tutelave rei sue, ita jus esto.* §. 2. *Inst. ad L. Falcid. l. verbis. 120. ff. de V. S.* Proxima autem sunt parentes, ii sc. qui liberos habent in potestate, ut pater, avus paternus, & omnes ascendentes. §. 3. *Inst. eod. l. quo Tutel. 73. §. nemo. ff. de R. J. l. 2. de vulg. & pup. subst.* Quia itaq; fundamentum hujus dationis patriam potestatem videmus, Pater filio emancipato, quia emancipatione patria potestas solvitur. §. 6. *Inst. quib. mod. Pat. pot. solv. tutorem dare non poterit testamento: Quod si*

ta-



tamen de facto tutorem dederit parens, ne inutilis ultima voluntas fiat, quia, quamvis per emancipationem sublato vinculo civili, patriæ potestatis affectio reliqua est, *Ampl. Dn. D. Struve, Prælect. pub. ad §. 5. tit. de Tut. & parens satis censetur prospexisse, l. 22. ad L. Jul. de adult. confirmandus est, ut plurimum (notantèr ut plurimum, quia ex causa potest adhiberi inquisitio, vid. l. in confirmado. 8. 9. 10. de confirm. Tut. l. 1. §. etsi. 2. ff. d. r. ex sententia Præsidis, sine inquisitione in personam tutoris, licet in voluntatem patris, an ea perduraverit, rectè inquiratur, l. 4. in fin. ff. de testam. Tutel. l. 8. de confirm. Tut. Matrem quoq; tutorem dare non posse, colligitur ex hac nostra thesi, & §. fœminæ. 20. Inst. de adopt. §. cœteri. Inst. de hered. qual. l. illud. 4. de bon. poss. cont. tabb. §. permiss. Inst. de Tut. l. pater. 4. ff. de test. Tut. l. 1. pr. ff. eod. Quia tamen pupillos heredes instituit, & non tam personæ quàm rebus tutorem dedisse videtur, propter maternæ pietatis præsumptionem; *auth. mat. & avia. Cod. quand. mul. offic. Tut. liberis impuberibus tutorem dare poterit, modò eos, quibus dedit, heredes quoq; in eodem testamento instituerit, l. pater. 4. ff. de test. Tut. qui inquisitione in mores, & facultates est confirmandus, l. mulier. 2. ff. de confirm. Tut. & hoc casu non sufficit in voluntatem testatricis inquisitio, l. f. in pr. ff. qui pes. Tut. ob lubricum mulieris consilium, l. ita a. 5. §. 8. de admin. & peric. Tut. quod contra propria sæpe laborat commoda, l. 4. C. de sponsal. quæ confirmatio de necessitate requiritur. *Bach. ad Tr. disp. 8. th. 2. lit. C. Sin dederit non instituto, a Præsilibus, liberrimè & citra ullam juris necessitatem confirmari poterit, l. 4. C. de test. Tut. Magn. Dn. D. Ungep. Ex. 4. th. 3. Hackelman disp. Illust. 15. th. 2. lit. C. Don. 3. com. 5.***

Ea autem, quæ de patre diximus, & filio emancipato, obtinent in filio quoq; naturali, *l. f. C. de confirm. Tut. in iis scil. bonis, quæ ipsi ab illo patre naturali relicta sunt, l. naturali. 7. pr. ff. de confirm. Tut. Et quæ de matre diximus, eadem in patrono, qui liberto heredem instituto Tutorem dedit, l. 32. vers. simili. ff. de Excus. l. qui Tutelam. 28. §. ult. ff. de test. Tut. locum habent; ut hujusmodi tutores de facto dati confirmentur potius per magistratum; quàm ut alii eligantur, l. 1. §. 1. l. 4. ff. de confirm. Tut.*

(c) Puberibus tantùm Curator non Tutor datur. Et cura-

B

cor



tor propriè dictus Nov. 117. c. 1. §. 1. testamento jure dari nequit.  
§. 1. Inst. de Curat. l. pen. Cod. de test. Tut. Intelliguntur autem liberi  
utriusq; sexus, sive masculi, sive foeminae, l. 1. ff. de test. tut. Nepo-  
tes & neptes, coeteriq; descendentes, si modò in potestate patris  
constituti, & in potestatem patris sui naturalis non sunt recasuri,  
l. 1. in f. ff. de test. tut. l. si heredu. 10. §. 2. ff. h. t. non modò nati, sed  
& nascituri, & posthumi. Magn. Dn. Arum. p. m. Exer. 3. tb. 5. mo-  
dò si vivo patre nascantur, in potestate ejus futuri sint, l. 1. §. 1. ff.  
de test. Tut. §. 4. Inst. de Tut.

(d) Patrem filio quoq; exhæredato Tutorem dare posse  
colligitur, quia hæc nostra thesis generalitèr loquitur de liberis  
in potestate existentibus, nec quicquam de institutis & exhære-  
datis exprimit. Lege autem non distinguente, nec nostrum est  
distinguere, arg. l. 3. de off. Praef. Exhæredatum non egredi patri-  
am potestatem manifestum est, l. 20. de bon. poss. cont. tabb. tùm  
quia exhæredatio inter modos finiendæ pat. pot. non refertur,  
l. ult. ff. unde legit. tùm quia potestas exhæredandi à patria potesta-  
te fluit, si itaq; fluit à potestate patria, ut filium hæredem insti-  
tuere & exhæredare possit, quid ni etiam tutorem præficere po-  
terit exhæredato? vid. Ant. Matth. in not. ad §. permiff. Inst. de Tut.  
Don. 3. com. 4. unde quis tutorem dare non potest, nisi ei, quem  
in suis heredibus habuit, habiturusvè esset si vixisset, l. 73. §. ne-  
mo. 1. ff. de R. 7. Inquies, atqui filius familias non est suus heres,  
quia ab hæreditate excluditur: verum licet exhæredatus non sit  
suis heres ratione existentiae, & effectu, est tamen suus ratione  
essentiae. Ampl. & Nob. Dn. D. Struve prælect. publ. ad §. 3. Inst. de Tut.  
Loquitur d. l. de heredibus, quos testator tempore mortis habuit,  
quibus exhæredatus annumeratur, quia exhæredatio ante adi-  
tam hæreditatem nullius est momenti. l. 20. pr. de bon. poss. contra  
tab. Nostram insuper roborant sententiam l. 4. l. 10. §. 2. l. 31. ff. de  
Test. Tut. l. 77. §. 3. ff. de condit. & Demonst. nec mens est l. 53. ff. de  
V. S. quod, cui tutor, etiam pecunia sit relinquenda, sed quod ne-  
mo separatim, deductis rebus, Tutorem dare possit. Constat au-  
tem datio hæc absq; ulla magistratus confirmatione. l. 4. ff. de test.  
Tut. Alia militat ratio l. 26. ff. de test. Tut. ubi tutor testamento  
datus, exhæredato confirmandus dicitur, non quia exhæreda-  
tus,



eus, sed quia querelam inofficiosi movit. *Bachov. d. l. Invertimus* itaq; , si tutor tantum confirmandus est, ubi pupillus querelam inofficiosi movet, sequitur, quod ubi testamentum jure valet, Tutor non sit confirmandus.

Th. VII.

Pater autem si filiis & filiabus Tutorem dederit, posthumo & Posthumæ dedisse videtur; (a) non etiam nepotibus. (b)

(a) Filiorum appellatione etiam posthumum contineri, docemur § *f. Inst. de test. Tut. l. 5 ff. de test. Tut. l. 164. ff. de V. S.* Posthumos autem intelligimus propriè ita dictos, qui post humatum patrem nascuntur, *l. 3. § 3. de injust. rupt. irrit.* qui modò si vivis parentibus nascerentur sui hæredes, & in potestate eorum fierent, *l. 73. §. 1. ff. de R. J. non qui tempore conditi testamenti fuere in utero, l. 16. §. ult. ff. de Testam. Tut.* qui largè ita dicuntur, & pro jam natis habentur, quoties de eorum commodo agitur, *l. qui in utero. 7. l. 26. ff. de stat. hom. l. quid dicimus. 231. ff. de V. S. l. cum quidam. 30. §. 1. ff. de acquir. vel omitt. poss.*

(b) Quia nomine filiorum non continentur, *l. 6 ff. de test. tut. §. 5. J. eod. titul.* puta si testator dixerit *meinen Söhnen* vel *meinen Töchtern*/ quod si dixerit, *liberis meis*, germanicè *meinen Kindern*/ nepotibus dedisse censetur, §. *5. Institut. d. tit. l. 16. d. t. l. 220 ff. de V. S.* quia vox *Kinder* potius ad liberorum quàm filiorum nomen pertinet. *Nobiliss. Dn. D. Fom. Disp. Inst. §. th. 12. Ampliss. Dn. D. Struve ad §. 5. J. qui test. tut.* Quamvis in aliis juris articulis appellatione filiorum nepotes veniant, *l. filii. 84. l. liberorum. 220. §. 1. de V. S. l. 6. C. ad SC. Maced. l. 59. ff. de Rit. Nupt.* ubi ratio summa suadet & necessitas. Cum autem nemo a proprietate verborum recedat, nisi justa causa, *l. 1. §. licet ff. de Exerc. act. l. 66. de leg. 3.* & causa hic nulla subsit, quia Magistratus de illis prospicere, Tutoresq; constituere potest, patet, neq; ex mente legis filiorum appellatione nepotes comprehendi, neq; ex mente testatoris, præsumitur enim, eum tutelam provisioni legis & magistratus committere, nec uni tantum hoc onus imponere voluisse, quia nimis gravatus Tutor omnibus sufficere non cen-



setur: Imò ut, qui filiis datus est tutor, nepotibus ad administrationem non sufficiat, evenire potest. Quod si solos habuerit nepotes, appellatione filiorum nepotes venient, *Ant. Fab. ad §. ult. Inst. qui test. Tut. Bach. ad Tr. vol. 2. d. 8. th. 2. lit. C.*

Th. VIII.

**Tutor testamento datus, & à magistratu confirmatus, magis dativus est, quàm testamentarius.**

Tutor à patre scriptus testamento non iusto, aut ut lege præcipiebatur, quia quædam participat de testamentaria pura, quædam de dativa pura. *Jason. in addit. ad Christoph. Porc. neq; propriè testamentarius est, neq; dativus. Gædd. ad l. lege. 130. n. 4. quia utrumq; & factum testatoris & confirmatio iudicis in eo concurrunt. Nob. Dn. D. Struve prælect. publ. ad §. 5. f. qui test. Tut. Testamentarius non est, quia in dispositione patris non quiescit, sed opus habet confirmatione: Dativus non est, Prætor enim confirmat quod disposuit parens. A magistratu tamen quia vim & robur accipit, l. 26. in f. l. 27. pr. ff. de test. Tut. nec tutores obligantur ante confirmationem periculo tutelæ, l. 1. Cod. de test. tut. l. 1. 2. Cod. de confirm. Tut. nec ad administrationem tenentur, & alii interim dari possunt Tutores, l. 3. Cod. de confir. Tut. l. tutor. 39. §. qui se. 2. ff. de admin. Tut. dativum magis quam testamentarium affirmamus cum Cujac. in par. Cod. de confirm. Tut. & 7. obs. 7. Vult. 1. Jurispr. 25. Schneidw. Harpr. Bach. Dn. D. Struv. d. l. Licet ejusmodi Tutor præferatur legitimo, l. 1. n. 3. ff. de confirm. Tut. Nov. 118. c. 5. & à Prætoře datus & confirmatus sibi opponantur, l. 32. v. & quid ff. de Excus. non enim diffitemur, eum quibusdam gaudere privilegiis cum testamentario. Dyn. in l. 1. n. 5. de confirm. Tut. Privilegium, ut præferatur legitimo, & alia possunt competere ex testamento, majora tamen competunt ex confirmatione magistratus. Neq; tutor ejusmodi magis testamentarius est, quia Prætor iudicium & voluntatem tantum testatoris sequitur, l. 32. de Excus. Tut. & qui confirmat, ratum tantum habet, l. 2. Cod. de confirm. Tut. non enim iudicium testatoris tutorem efficit, sed personam idoneam monstrat, cui postea magistratus potestatem ad sistendi pupillo,*



pillo, vel inquisitione, vel sine inquisitione concedit. *Nobil. & Excell. Dr. D. Strave prelect. publ. ad Inst. tit. de Tut. §. 5.* Quod si itaq; confirmatio majorem vim ac robur tanquam formam addat, meritò à potiori fieri debet; denominatio. *Gædd. de V. S. leg. 130. n. 4.*

### Th. IX.

Possunt autem Tutores dari non solùm Patres, sed & filii familias, (a) Servus proprius pure (b) sine errore cùm libertate, (c) alienus cum conditione: (d)

(a) Considerato hæctenus subjecto passivo restat acti-  
vum, quod est non tantum Pater, sed filiusfam. qui in publicis  
causis, cujusmodi est Tutela *pr. Inst. de excus. l. non tantum. 17. §. eos.*  
*ff. eod. pro patrefamilias habetur. l. filius. 9. ff. de his qui sui vel alien.*  
*l. nam quod 14. pr. ad S. C. Trebell. l. 2. C. de Muner.* quia patria pote-  
stas quiescit & paulùm conniver, vt Thavrus loquitur apud  
*Gell. l. 2. c. 1.* adeò ut filiusfamilias Patrem in causis pupilli in jus  
sine venia vocare possit, *argumento l. quasitum ff. de in jus. Voc.* non  
enim hoc facit ut filius, sed ut Tutor. Et quia in tutela requiri-  
tur persona libera, modò sit habilis ad administrandum, in testa-  
mentis verò non tantum persona, sed etiam bona, de quibus  
quis testetur, ob magnam diversitatem inter tutelam & testa-  
menta intercedentem, omnis iis negatur consequentia, qui à te-  
stamenti factione, ad quam non admittitur filiusfamilias.  
*pr. Instit. quib. non est permiff.* quæ tamen est juris publici. *l. 3. ff. qui*  
*test. fac. possunt.* ad tutelam argumentantur. Notandum tamen,  
quod filiusfamilias dari possit tutor testamentarius. *l. Lucius Titius*  
*25. de administ. Tut.* item dativus. *l. filiusfam. 7. de Tut.* Legitimus  
verò nunquam propter Patrem gradu semper præcedentem.  
Obligatur autem Tutoris pater in solidum, si tutelam agnoverit,  
gerenti filio consenserit, & nominatim periculum Tutelæ in  
se receperit. *l. filius. 7. ff. de Tut. l. 21. de admin. Tutel.* Si sciverit,  
tamen tacuerit, nec expressè consenserit, peculiotenus.  
*l. l. 21. ff. de admin. Tut.*

(b) Sub conditione enim si dederit, ludere magis & joculari

B 3

vide-



videtur, cum manumissio in voluntate testatoris quiescat. Quid si servum tutorem vult, opus habet præscriptione conditionis. *l. sub hac. ff. de oblig. quem tamen non fugit, appositam conditionem Tutelæ esse impedimento.*

(c) Per errorem datus neq; liber est, neq; Tutor. *l. si quis 22. ff. de testam. Tutel. & pater id, in quo erravit, voluisse non videtur. l. si per errorem. 15. ff. de Jurid.* Num autem ex præsumta mente testatoris nihilominus libertatem consequetur servus, si testator eam non expresserit? Consequitur omninò, non enim, nisi liber, Tutor esse potest. *l. 7. C. qui dare Tut. & testatorem ea, sine quibus ad tutelam pervenire non potest. l. 11. ff. de R. J. attribuerè voluisse præsumitur. l. 2. ff. de Jurid. Don. 3. com. 4.* An autem consequatur directam an fidei commissariam libertatem? acerrimè inter Doctores controversitur, & textus pugnantes nodos intricatos, ne Alexandrino quidem gladio dissolubiles relinquunt. *Hackel. quest. Inst. Disp. 15. th. 3. lit. B.* Nos directam consequi indubitanter affirmamus, § 1. *Inst. qui test Tut* modò perfectò testamento servus, qui utroq; tempore & testamenti conditi, & mortis, testatoris servus est, datus fuerit. *Magn. Dn. Ordin. Exerc. 4. th. 4.* Verbis enim directis non fideicommissio Tutor dari potest. *l. 28. ff. de test. Tut.* Et servus libertatem hanc vindicare potest, fideicommissariam non potest, quia ab ipsa statim hæreditate fit liber. *l. 32. ff. d. t. & libertas non ab hærede sed testatore proficiscitur l. 7. ff. de test. Tut. de jure tamen novo. l. pen. C. de necess. serv. hered.* Jure enim veteri servos testamento datos accepisse fideicommissariam libertatem. *l. 9. Cod. de fideicom. lib. l. 10. ff. de test. Tut. sentit. Magn. Dn. Frantzk. Exerc. 3. q. 2. Nobiliss. & Ampliss. Dn. Praeses in prælect. Publ. Inst. de Tut. ad § 1.*

(d) Si liber erit. § 1. *Inst. qui test. Tut.* quia absq; libertate Tutor esse non potest. *l. 7. C. qui dare Tut.* in manu testatoris non est, ut servus alienus liber fiat. Id enim quod nostrum est, absq; facto nostro ad alium transferri nequit. *l. quod nostrum. ff. de R. J.* si de libertate tacuerit testator, & conditionem omiserit, ex benigna Juris interpretatione, propter favorem Pupilli, & utilitatem publicam, conditio illa, cum liber erit, tacitè dationi huic inesse putatur. *Ritterh. ad §. 1. Inst. qui test. Tut. & heres eum à Domino*



mino volente redimere & manumittere tenetur. l. 10. §. ult. ff. qui test. Tut. l. 9. in fin. ff. de fideicom. lib.

Th. X.

Item furiosus, cum compos mentis fuerit;  
(a) Minor, cum ad perfectam ætatem pervenerit (b).

(a) §. furiosi. 2. Inst. qui test. tut. & rectè quidem adjecta hac conditione; requiritur enim tutor, qui defendit pupillum, quomodo autem alios, qui propter animi defectum se ipsum defendere nequit, tueri poterit? quod si purè datus fuerit, conditio tacita subintelligitur. l. 11. ff. de Tut. loquimur autem de iis, qui certa & distincta habent intervalla: secus est in iis, qui non habent; vid. th. seq.

(b) §. 2. l. 32. in fin. ff. de test. tut. etiam impubes, si modò ante pupilli Pubertatem 25 ætatis annum consequi possit, l. non solum 10. §. 7. ff. de excus. Tut. Incivile enim est, ut qui ab aliis reguntur, aliorum tutelam habeant. §. 13. Inst. de Excus. l. ult. C. de legit. Tut. Pendente hac conditione Tutela ad legitimum non pervenit. l. 10. ff. de test. Tut. tum quia speratur testamentaria, tum quia legitimus tutor non ut testamentarius ad tempus esse potest. l. 77. ff. de R. 7. sed à Magistratu alius surrogatur, qui pupillo præesse desinit, si furiosus mentis compos, & minor 25. annum attigerit. §. 1. Inst. de Attil. Tut. An autem surrogandus sit Tutor an Curator? Doctores intricatissimam movent controversiam, propter textus modò pro Tutore. l. pen. de Tut. modò pro curatore. l. 12. de Excusat. pugnantes. Nos autem per d. l. 1. de test. tut. §. 1. Inst. de Attil. Tut. cum Magn. Dn. Arum. disp. 16. th. 6. & Ampl. Dn. D. Ludwell. disp. 3. th. 3. lit. A. tutorem dari, asserentes, obiter tantum in Legibus contrariis mentionem fieri tutorum & curatorum, & Curatorem modò pro Tutore, & tutorem modò pro Curatore poni. Non enim ex professo de quæstione, an tutor an verò Curator dandus; sed de alio facto respondisse videntur J. Cti. Bachov. ad Tr. Vol. 2. disp. 8. th. 1. lit. H. Status autem controversiæ est, ubi tutor non administrat, nec propter impedimentum administrare potest, alia ratio est §. 2. Inst. de Curat. Dabitur ergò tutor, si impedimentum  
fue-



fuerit perpetuum, indeterminatum, propter quod tutor auctoritatem præstare non potest, si unus fuerit tutor, testamentarius, non quidem summi juris ratione, sed ex æquitate & favore pupilli, ne indefensus relinquatur. *l. pen. de Tut. vid. exactè differentem Bach. ad Tr. d. l.*

Th, XI.

Prohibentur tutores esse vel natura vel lege: Natura ob defectum animi, ut furiosus, (a) prodigus, (b) vel corporis, ut mutus, surdus, (c) cæcus: (d) Lege, qui communionem nullam habent cum jure Civili, ut servi, (e) vel qui habent, nec tamen admittuntur, ut fœminæ, (f) milites, (g) creditor pupilli. (g)

(a) Qui continua mentis alienatione perpetuòq; furore laborat, quoniam omni intellectu. *l. 14. ff. de off. Præs. Sensus. l. si cum 22. §. si maritus. 7. ff. solut. mat. judicio. l. cum prator. 12. §. 2. ff. de judic. menteq; destituitur. §. 1. Inst. quib. non est permiss. test. fac. personæ rebusq; pupilli præesse non poterit.*

(b) Ipse aliena cura indiget. *§. 3. Inst. de curat. si autem propria rerum administratio ipsi est interdicta, quia neq; finem habet expensarum, bonaq; dissipando & dilapidando profundit. l. 1. pr. de cur. fur. furiosum facit exitum. l. 12. §. 2. in fin. ff. de Tut. & Cur. dat. multò minus administratio rei alienæ erit concedenda, argumento l. 2. Cod. quand. mul. offic. Tut. fung.*

(c) Qui non audiunt & loqui possunt, quomodo animi sensa explicare, auctoritatem interponere, pupillumq; defendere poterunt? *l. pen. ff. de Legit. Tut. l. 1. §. f. ff. de tut. Intelliguntur autem ii, qui planè non audiunt, & loquuntur, tardius audientes, & lingua hæsitantes Tutores esse posse docet l. ultim. ff. de Legit. Tut.*

(d) Multa talem tutorem fugere posse, quæ maximè in rebus administrandis utilia fuissent pupillo, nullus dubito. *l. 3. C. qui dare tut.*

(e) Qua tales. *l. 7. C. qui dare tut. Tutela juris Civilis est, ejus*



cujus incapaces sunt servi, nullamq; cum eo habent communio-  
nem. *l. qui testam. 20. §. servus. 7. ff. qui test. Tut.*

(f) Tutela officium virile est. *l. 16. ff. de Tut. & l. ult. ff. eod.*  
& publicum. *l. 1. Cod. quand. mul. off. Tut.* à cujusmodi officiis re-  
moventur mulieres. *l. 2. ff. de R. J.* nisi ex indulgentia Principis  
admittantur. *l. ff. de Tut.* Excipiuntur matres & Avix, quibus vi-  
ris amissis, & legitimorum. *l. 2. & auth. Matri. C. quando mul.*  
*off. Tut. fung. & naturalium liberorum. l. fin. cum auth. ad hac. Cod.*  
*d. t.* nisi adsint testamentarii, præ reliquis agnatis permittitur  
subire Tutelam. plurav. *de Matrum tutela th. 14.*

(g) *l. 4. qui dare tut. §. idem. 14. Inst. de Excus.* ne vergat in  
detrimentum Reipublicæ, si à signis & castris avocentur.

(h) Etiam si à legibus vocetur, non tamen accedat. *Nov. 72.*  
*c. 1.* in tantum, ut si se non excusaverit, sed creditum dissimulave-  
rit, de eoq; tacuerit, actionum jacturam faciat. *Auth. min. Cod.*  
*qui dare tut.* Cum enim jure veteri. *l. 8. Cod. d. t. l. quoties. 9. §. sicut. 5.*  
*de admin. tut.* creditori administratio tutelæ non interdicebatur,  
Imperator videns creditores in intercipiendis Chirographis  
multa moliri contra pupillos, clausâ hac delinquendi  
fenestrâ, constituit, ut ad tutelam nullus admittatur per *dit.*  
*auth. Min.*

## Th. XII.

Tutor testamentarius (a) ad certum tem-  
pus, (b) ex certo tempore, (c) sub conditione,  
(d) usque ad conditionem, dari potest, (e)  
certæ autem rei (f) vel causæ (g) non potest.

(a) Non æquè legitimus & dativus. *Cyn. in rubr. Cod. qui*  
*test. tut. Schneidw. ad §. 3. Inst. eod. n. s.* quia tutela legitima & dativa  
sunt actus legitimus, qui nullam conditionem recipere potest.  
*l. 6. §. 1. de Tut. l. 77. ff. de R. J. Rittersh. ad §. 3. J. qui test. Tut.* cum e-  
nim non adeatur Magistratus, nisi cum officio ejus & autoritate  
opus sit in præsentia. *Bachov. com. ad Inst. h. l.* Judex reverà actus  
suos, quod inhumanum esset, suspendere, & imperfectos relin-  
quere non debet. *Gyph. ad §. 3. Inst. hoc tit.* Et si conditio posset  
suspendi à Magistratu, & æquè dativus ut testamentarius dari  
posset

C

posset



posset sub conditione, quis, si pater testamento dederit filio tutorem sub conditione, defectum intermedii temporis suppleret. *Don. 3. com. 7.* certè si ipse supplens sub conditione dare posset, processus fieret in infinitum. Sermo autem est de conditione suspensiva: nam usq; ad conditionem, tacitā tamen, sicut & ad tempus *l. 1. Cod. in quib. casib. Tut. dare omninò posse tutorem Magistratus, restatur. §. 1. Inst. de Att. tut.*

(b) Ad annum, biennium, *l. 8. §. 2. ff. de test. tut.*

(c) Post duos annos. *§. 3. J. qui test. tut. dari. d. l. 8. §. 2. l. 11. ff. d. t. Don. 3. Com. 4.*

(d) Sub qua suspenditur tutela, puta si navis ex Asia venerit, & à Magistratu usq; ad illam conditionem alius datur.

(e) Titius tutor esto, quousq; cælebs fuerit. *l. 8. §. 2. ff. de test. Tut. §. sed etsi Inst. quib. mod. tut. fin.*

(f) Ut fundò Tusculano præsit. *l. 12. ff. de test. Tut. l. 13. cod. §. 4. Inst. qui test. Tut.* quia omnis tutor principaliter personæ datur. *l. 14. de test. tut. l. 30. ff. de admin. Tut.* & in consequentiam (quia bona conditionem sequuntur personæ, *l. 90. §. 1. de acquir. vel omit. hered.*) rebus ad pupillum pertinentibus. *l. 12. §. 3. de admin. Tut.* adeò, ut ne deductis rebus quidem dari possit. *d. l. 12. ff. de test. tut.* Si modò bona in eadem provincia possideat, quod si in diversis, ut *l. 27. ff. qui dare tut.* & ultra centesimum lapidem, vel in Africa vel Syria bona possideat. *l. 15. ff. de test. Tut. alius rerum Africarum, alius Syriacarum tutor constituitur. d. l. 15. & l. 27. Ludw. disp. 3. th. 1. lit. f. Pac. c. 3. q. 73.* Quod verò mater in rem potius quàm in personam dare dicatur Tutorem *l. 4. ff. de test. tut.* intelligitur ante confirmationem, post confirmationem enim magis personæ datus ejusmodi tutor censetur. *Nob. Dn. D. Struy. Praelect. Publ. ad §. 1. de Tut.*

(g) Ad litem exercendam, ne magis causæ datus videatur, ut inquires, licet testatori concessum non sit, certæ causæ tutorem dare, id tamen licere Magistratui. *l. 9. l. 13. pr. ff. de Tut. & Cur. dat. l. 17. §. 1. de appell.* verùm etiam dictis legibus principaliter personæ datur tutor, quia defectum personæ autoritate supplet, & certa causa occasionem tantum præbuit Magistratui dandi pupillo tutorem,

Th.



Hactenus de Tutela testamentaria, & quantum quidem de ea agere placuit: Succedit legitima, (a) quam lex XII. Tabb. deficiente Tutore testamentario (b) agnatis, (c) novaq; Justiniani constitutio ad legitimos impuberis heredes defert, (d)

(a) Dicitur legitima non in oppositione ad illegitimam, quasi testamentaria & dativa non sint legitimæ, sed κατ' ἐξοχήν à Lege, quia absq; ulla hominis sed sola legis dispositione certi homines ad eam vocantur. *l. 1. pr. de legit. Tut. l. 5. ff. eod.* reliqui autem Tutores interventu testatoris aut Magistratus indigeant. *l. legitimos ff. de leg. Tut.*

(b) *Pr. J. h. t. l. 11. pr. de test. Tut. l. 89. ff. de R. J. l. quamdiu. 39. de acquir. hered. l. ex testamento. 2. Cod. unde lib.* adeo ut ne spes testamentarii superfit, puta si testator omnino testamentum non fecit, & intestatus decedit, vel si testamentum quidem fecit, sed tutorem in eo liberis non constituit, vel si constituit, Tutor constitutus vivo adhuc testatore decessit, vel mortuo jam testatore, filio tamen adhuc impubere existente. *l. 6. ff. de legit. agn. Tut. l. 11. S. p. de test. Tut. Rittersb. ad S. 2. Inst. h. t. Don. 3. com. 6.* Sive naturalitèr, sive Civilitèr mortuus fuerit. *d. l. 11. §. fin.*

(c) *Pr. Instit. de Legit. Tut. l. 1. ff. d. t. l. si quis. ff. de test. tut. l. 2. Cod. de legit. tut. l. intestato 6. ff. eod.* ipso jure, nullius auctoritate interveniente. *l. 5. ff. eod. exclusis cognatis. l. 1. Cod. de legit. Tut. & summa providentia quidem, ut qui sperant successiorem, tueantur bona, ne dilapidentur. l. 1. de legit. Tut. l. 37. ff. de R. J.*

(d) Qui si modò perfectæ ætatis, indifferentèr, eo ordine & gradu, quo ad hereditatem vocantur, tutelæ functionem suscipere possunt. *Don. 3. com. 6. Alciat. in lib. 1. de V. S.* quod tamen fallit in fœminis, excepta matre & avia, quamvis ad has hæreditatis jus pertineat, hoc tamen, quia per se non sunt idoneæ, non

C 2 facit



facit idoneas. l. 4. & auth. sicut hereditas. Cod. de leg. Tut. l. 1. §. 1.  
l. 3. §. 1. ff. eod. Nov. 118.

Th. XIV.

Est vel Extraordinaria, (a) vel Ordina-  
ria. (b)

(a) Ita dividimus cum *Sutholto ex Bart. ad auth. matri & avia. C. quand. mul. off. tut.* & Extraordinariam Matri & aviaē adscri-  
bimus. Cum enim neq; jure Digestorum neq; Codicis femi-  
nae ob sexus imbecillitatem, consiliiq; infirmitatem, ad tutelae  
munus admitterentur, Justinianus motus ob pietatem & amo-  
rem matrum in liberos, extra ordinem, matrem & aviam ad-  
mitti concessit, quae viris amissis & legitimorum. l. 2. & *auth. mat. C. quand. mul. off. Tut. fung.* & naturalium liberorum, l. f. *cum  
auth. ad haec C. dict. tit.* praereliquis agnatis sunt tutrices legitimae,  
modo majores aetate matres fuerint. l. 2. *C. d. t.* etiam si debitrices &  
creditrices fuerint filiorum. *Wesenb. in Par.* Etsi alias creditor pupilli  
tutelam assumere nequeat regulariter. *Auth. Minorum. Cod. qui dare tut.*  
*Nov. 72. cap. 1.* hoc tamen in matre, in qua maternae pietatis praes-  
umptio tollit suspicionem. l. 67. §. *de uno. ff. de Rit. nupt.* locum  
non habet *d. auth. ad haec. Cod. quand. mul. off. Tut.* si modo renun-  
ciaverit secundis nuptiis, & auxilio S. C. ti. Vellejani, non quidem  
sicut olim juramento. l. 2. *Cod. quand. mul. off. Tut.* sed sufficit, si  
simpliciter absq; Sacramento renunciaverit. *auth. Sacramenta.  
Cod. d. t.* Praefata tamen procedunt, si libera voluntate subeunt,  
nolentes cogi non possunt. *d. auth. matri. ibi: permittimus. l. fin. ibi:  
voluerit. C. d. t. Don. 3. Com. 3.* Inhumanum enim esset, onus matri  
deferre & invitam a secundis nuptiis arcere. & *Gutierrez tr. de Tut. p. 1.  
c. 2. n. 5.*

(b) Quae a lege XII. Tabb. certis personis deferretur, in-  
tuitu successione ab intestato. Cum autem lex XII. Tabb. quas-  
dam personas vocet explicitè verbis & mente legis. l. 1. §. 5. ff. eod.  
quasdam implicitè, ex mente tantum, vel interpretatione pro-  
pter identitatem rationis. l. 3. *de legit. Tut. Ulp. in frag. de Tut.*  
tres nobis emergunt tutelae legitimae species, personarum, quae  
vocantur explicitè, ut Agnatorum: implicitè, & mente legis,  
ut Patronorum. *d. l. 3.* interpretatione & identitate rationis, ut  
pa-



parentum. *Heig. tit. de leg. agn. Tut.* Cum autem propter familia-  
rum dignitatem conservandam. *l. 1. §. sed etsi ff. de insp. Vent.* o-  
mni tempore major dignitas sexui virili quam fœmineo tribue-  
batur, masculiq; fœminis & inde descendentes omni honoris  
& dignitatis prærogativa præferantur. *l. 1. in fin. ff. de Senat.* ita  
non immeritò sicut in successione, etiam in tutelis, ut qui per  
virilem sexum descendunt, ceteros excludant, constitutum est.  
*§. 1. h. t.* Vocantur autem ii, qui per virilis sexus cognationem con-  
iuncti sunt agnati, ut frater ex eodem parente; fratris filius, pa-  
trius, & qui eadem insignia nomenq; gerunt, die eines Ge-  
schlechts / Schildes vnd Helms seynd. Vulgò dicuntur die  
Schwerdtmägen. Qui verò per fœminini sexus cognationem sunt  
coniuncti, vocantur cognati, qui sc. ex eadem matre, diversis ta-  
men patribus, nati sunt. *§. sunt. a. Inst. de leg. agn. succ.* vulgò dicun-  
tur Spielmägen / quasi von der Spindel Verwandte. Si plures  
agnati fuerint æqualis gradus proximioris, omnes quidem ad tu-  
telam vocantur. *l. 9. ff. eod.* unus tamen vel plures eligantur ma-  
ximè idonei, & iis Tutela committatur, omnium tamen pericu-  
lo, tacitaq; bonorum hypotheca. *Auth. si quis hereditas. Cod. de leg. Tut.*

Th. XV.

Legitimam Agnatorum Tutelam excipit  
Patronorum, in qua Patronus est Tutor liber-  
torum suorum.

Successionem ab intestato fundamentum esse legitimæ tu-  
telæ, hætenus vidimus, itaq; non immeritò ad exemplum agna-  
torum Tutela ad Patronos libertorum devolvitur, eadem ratio-  
ne juris. Sicut enim ad agnatos deferatur tutela propter successio-  
nem ab intestato. *l. 1. ff. de leg. Tut.* ita Patronus à lege XII. Tabb.  
vocatur ad successionem liberti, legitimusq; hæres existit. Si au-  
tem vocatur ad successionem, omninò etiam ad Tutelam: onus  
enim plerumq; tutelæ debet esse, ubi est successionis emolumen-  
tum. *l. quo tutela 73 ff. de R. J. l. 3. de leg. Tut.* Licet lege XII. Tabb. nõ  
caveatur, ut Patroni, libertorum impuberum Tutores sint, ipsaq;  
lex verbis directis non ut agnatis patronis deferat Tutelam, per  
consequentiam tamen, & mente legis propter hæreditatis emo-

C 3

lu-



lumentum legitimos fieri tutores docet, *pr. Inst. de leg. agn. Tut.*  
*l. 3. ff. eod.* quia etiam hoc ex lege dicitur, quod est ex sententia  
legis. *Coed. ad l. 6. §. 1. n. 15. ff. de V. S.*

Th. XVI.

Exemplo patronorum (a) recepta est alia  
tutela legitima scil. parentum, quam parentes  
habent in liberos ante pubertatem contracta fi-  
ducia emancipatos. (b)

(a) Ex ratione identitatis & interpretatione *JCtorum*,  
quia patri quoad successionem eadem jura praestantur in bonis  
emancipati, quæ patrono in bonis liberti. *§. Præterea. 6. quib. mod.*  
*Pat. Pot. solv.* Sicut enim Patronus liberti sui legitimus est tutor,  
ex ratione, quia lex XII. Tabb. eum vocat ad successionem ab in-  
testato; ita parens, quia & emancipato filio succedit. *§. fin. Inst.*  
*de legit. agn. succ.* tutor rectissime constituitur. *t. t. §. de leg. pat. Tut.*  
*l. 3. §. ult. de leg. Tut. l. 5. C. de dolo malo. §. 6. Inst. quib. mod. jus pat.*  
*pot. solv. Vult. ad tit. Inst. de leg. pat. Tut.*

(b) Per imaginariam venditionem. Et parens dicebatur fi-  
ducarius, propter spem in retrovendendo filio: Hodie discrim-  
men quo ad successiones & Tutelas inter filium in potestate con-  
stitutum & emancipatum est sublatum, *auth. defunct. Cod. ad Sc.*  
*Tutul.*

Th. XVII.

Est & alia tutela quæ fiduciaria appellatur,  
(a) quam parens in liberos ab Avo emancipa-  
tos, (b) vel frater aut patruus in fratres aut fra-  
tris liberos ante pubertatem emancipatos, post  
mortem Avi vel fratris, habet.

(a) Quia neq; verbis, neq; mente, neq; identitate ratio-  
nis à lege duodecim tabb. descendit, ita vocatur, vel à fiducia le-  
gis, quod lex confidat magnamq; spem concipiat, propter san-  
guinis conjunctionem nullos fideliores fore in defendendo pu-  
pillo, & rebus gerendis pupilli, ut sentit *Don. Duor. Aug.* vel à fi-  
ducia contracta emancipatione. *§. ult. Inst. de leg. agn. Tut.*

(b) Con-



(b) Contracta fiducia, nisi enim emancipatus fuerit, post mortem non fit sui juris. Parens autem filiorum ab avo emancipatorum non legitimus sed fiduciarius fit tutor. Cum enim nepos avo mortuo non recidat in potestatem patris jure successio- nis, sed jure patriæ potestatis, quia potentia patris avo mortuo traducitur in actû, in eo pater non legitimam sed fiduciarium ac- cipiet Tutelam, quæ tamen olim vicem legitimæ sustinebat. *l. 3. de leg. Tut.* Donec ex Anastasiana legitima esse coeperit. *l. 4. C. de leg. Tut. l. 5. Cod. de Curat. sur.* Hodie sublata differentia inter agna- tos & cognatos suos & emancipatos, quoad successiones & Tu- telas, *Nov. 118. l. 4. C. de leg. Tut.* fiduciaria cum aliis legitimis esse desiit, & ad Tutelam legitimam proximus s. agnatus s. cognatus vocatur. *vid. th. 13.*

### Th XVIII.

Exposita tutela testamentaria & legitima, progredimur ad dativam, (a) quam magistratus, (b) cui legibus concessum est (c) dandi tutores, defert, ad petitionem proximorum consanguineorum, (d) testamentariis vel legitimis non extantibus.

(a) Καὶ ἐξοχῆν ita dictam. Cum autem tutela testamen- taria etiã dicatur dativa, *l. pen. C. de leg. Tut.* quia tamen tutor testa- mentarius à testamento nomen accipit, tutela potius testamen- taria, hæc vero nostra magis dativa vocatur. Alias honoraria solet appellari, quia à magistratu datur, qui dici solet honor. *S. Prætorum. Inst. de J. N. G. C.*

(b) Magistratus fuere (1) jure antiquissimo Prætor in ur- be, majorq; pars Tribunorum, qui Tutores per votorum plurali- tatem designabant, lege Attilia. *pr. J. de Att. Tut.* Præsides in Pro- vinciiis *l. 2. §. 4. de O. J.* qui dabant Tutores ex lege Julia Titia. (2) Quia dictis legibus de satisfactione exigenda a Tutoribus ni- hil cavebatur, Claudius teste *Sueton. c. 21.* introduxit consules, qui personis Senatoriis, & Marcus Antoninus Philosophus Prætorẽ tutelarem, qui reliquis personis dabat tutores, cum inquisitione  
in



in personam. l. 1. §. 2. de confirm. tut. facultates. l. 8. de confir. tut. atq;  
cautione rem pupilli salvam fore. §. 3. Inst. de Att. Tut. (3) Præfe-  
ctus, §. 4. Inst. de Att. Tut. & Prætor Tutelaris in urbe. l. 1. Cod. de Il-  
lust. qui dabant secundum Jurisdictionem, in Provinciis Præsi-  
des, §. 3. Inst. de Curat. l. 5. 6. Cod. qui dar. tut. in civitatibus magi-  
stratus municipalis, jussu Præsidum. §. 4. l. de Att. Tut. (4) Justi-  
niani constitutione defensores & magistratus dabant, autoritate  
tamen Episcopi, modò facultates pupilli 50. solidos non exces-  
serint. §. 5. Inst. de Att. Tut. Jure hodierno omnibus magistrati-  
bus tutores dare permissum est. Schneidw. §. nos. a. Harpr. d. §. Ang.  
§. sed hoc jure. Inst. de Att. Tut. atq; ita sancitum reperimus in der  
Reformation-Ordnung guter Policey zu Augspurg/ 1584. ange-  
richtet/ Tit. von Pupillen vnd minderjährigen Kindern Tutorn  
vnd Vormündern. §. So wollen wir.

(c) Lege Atrilia, Julia, Titia, Lætoria & Claudia, consti-  
tutione ad quam se refert Justinianus. §. 5. Inst. de Att. Tut. quæ est  
l. 30. Cod. de Episc. aud. si Pæcio & Cujacio credimus; item hodie  
d. Reichs Abschied. d. r.

(d) Nisi enim Magistratus rogatus fuerit, officium imper-  
tiri non solet. l. 4. §. hoc. a. ff. de dam. infect. Sunt autem personæ,  
quæ ex necessitate petere tenentur Tutores, ut Mater. l. 6. l. 9. 10.  
Cod. qui pet. Tut. l. 2. §. 1. ff. d. t. quæ liberis non tantum legitimis,  
sed & naturalibus petere tenetur. l. ult. Cod. qui pet. quia idem,  
qui in legitimis, in naturalibus præsumitur amor, in tantum qui-  
dem petere tenetur, ut si neglexerit, hæreditate se indignam fa-  
ciat. l. 2. §. 1. 2. ff. d. t. Ang. in §. actionum. Inst. de act. n. 44. nisi justam  
causam habuerit, si vel casus fortuiti impedimentum intercedat.  
l. cum à matre. 8. Cod. qui pet. Tut. & Minor. 25. annis fuerit, resti-  
tuitur enim in integrum, l. 2. Cod. si advers. delinq. filius pubes fa-  
ctus moriatur, l. 3. Cod. de SC. Tertul. pupilli interfit, tutorem non  
peti. l. 2. §. 44. ff. ad SC. Tertul. Schneidw. Inst. de Att. Tut. n. 5. Cu-  
jac. 17. obs. 7. Et avia, quia nepotes aviæ filii dicuntur. l. 220. ff. de  
V. S. quæ si petere neglexerit, æquè ac mater repellitur à legiti-  
ma hæreditate. l. 2. §. filius a. §. ff. ad SC. Tertul. l. 220. de V. S. Qui-  
dam ex libera voluntate tantum petunt, ut cognati, affines. d. l. 1.  
§. 1. ff. qui pet. Tut. & amici parentum. Tr. disp. 8. th. 4. lit. E.

Th. XIX.



Th. XIX.

Peranceps & perplexæ disquisitionis ori-  
tur quæstio: An Tutelæ datio sit Jurisdictionis,  
an verò legis specialis?

De hac controversia variæ Dd. reperiuntur opiniones: nos  
pauca præmittenda censemus. Jurisdictio est vel ordinaria, vel  
extraordinaria; illa competit magistratui, qua magistratus, ex  
natura Jurisdictionis. *l. 1. de off. ejus cui mand. est jurid. & ultra*  
controversias & causas civiles se non extendit. *Magnific. Dn. D.*  
*Frantz. Exerc. 3. q. 1.* Hæc competit Magistratui non ex natura  
Jurisdictionis, & jure proprio, sed jure & beneficio alieno.  
*l. 5. ff. de Jurisd. Specialiq; legis concessione. Magn. Dn. Ord. Exerc.*  
*4. q. 7.* His ita præmissis concludimus, quia tutela non compe-  
tebat olim Magistratui, qua Magistratus, sed post constitutio-  
nem magistratuum legibus fuerat reservata, neq; causas civiles  
sed veram domini administrationem respiciebat, eam neq; ju-  
risdictionis neq; imperii esse, *l. 6. §. 2. de Tut.* Quia tamen compe-  
tebat magistratui, ex speciali legis concessione, adeò ut ne ulli  
competeret hoc jus, etiam magistratibus majoribus, extra pe-  
culiarem legem, aut Senatusconsultum, Jurisdictionis extra-  
ordinariæ fuisse affirmamus. *Magnif. Dn. Ordin. d. l. atq; ita Prætor*  
tutorem dabat secundum jurisdictionem, habebat enim jus dan-  
di tutores. *l. 3. pr. ff. de postul. l. si quis 3. §. 5. ff. judic. solv. l. un. Cod. de*  
*off. Prætor.* Specialitèr sibi concessum, & jurisdictionem extra-  
ordinariam.

Hodiè quia Magistratui, in quantum & quatenus Magi-  
stratus, competit, Jurisdictionis esse affirmamus, quia hodiè qui-  
libet Magistratus vi ordinariæ jurisdictionis tutores constituere  
debet. *Ordinat. Polit. Caroli V. Augustæ. Ao. 1548. promulg. & à Ru-*  
*dol. II. Francofurt. Ao. 1577. confirmata. tit. von der Pupillen vnd min-*  
*derjährligen Kinder Tutorn vnd Vormunder. §. So wollen wir.*  
*Vult. §. 5. n. 10. Inst. de Att. Tut. Nisi vi statuti alicubi sit Prætor qua-*  
*si pupillaris. Dn. D. Arum. disp. 16. th. 2. Exerc. 2. th. 4. Magn. Dn. Ordin.*  
*Exerc. 4. q. 7. in ajo. Dn. D. Riemer. dec. 3. q. 5.*

D

Th.





Vidimus hæcenus, quibus modis tutela constituitur; restat, ut ad officium Tutoris transeamus, & quæ tutelæ administrationem præcedunt, dispiciamus. Antequam autem tutor aggrediatur administrationem, bona pupilli decreto magistratus recipiat, (a) inventarium conficiat, (b) juret rem pupilli absq; dilatione suscepturum, & omnia facturum, quæ sunt in rem pupilli, (c) Promittat nominatim se pupillum sive in iudicio sive extra iudicium non esse relicturum, (d) satisdet per fidejussores. (e)

(a) Quod ita dispositum est in der verbesserten Pollicey-Ordnung Ao. 1548. tit. von Pupillen & c. §. daß auch ein jeglicher. Et Tutor ante decretum, quia administratio specialiter est decernenda periculo tutelæ non obligabitur, uti tradit *Bachov. ad Tr. vol. 2. d. 7. th. 5. lit. C.*

(b) Quia reddendarum actionum caput est inventarium. *l. cum serv. 82. ff. de cond. & demonst. & ibi Bald. Obrecht. th. 417.* neq; sine eo, ex quo solo constare potest de viribus patrimonii, rationes nisi superficialiter reddi possunt. *Bach. ad Tr. d. l. lit. D.* nominatim, & specificè, omnium bonorum, sive mobilium, sive immobilium, corporalium, & incorporalium jurium, consignatio requiritur. *l. 24. C. de admin. Tut. l. fin. §. fin. Cod. arbit. Tut.* in tantum, ut tanquam suspectus removeatur, qui in eo conficiendo quid omittit. *d. l. ult. dolo præsumatur subisse tutelam, qui inventarium non fecit. l. tutor. 7. ff. de admin. tut.* torqueatur, in carceretur, infamia notetur, qui eo omisso ex improvise ditescit. *d. l. ult. Hackelm. Illust. quæst. disp. 15. th. 11.* Et ante inventarium confectum ejusmodi tutor nihil agat. *l. f. §. 1. Cod. arb. Tut.* nihil enim omninò valent ab eo gesta. *l. 7. pr. ff. de admin. Tut. l. 5. ff. de leg. Tut. nisi*



nisi in iis, quæ dilationem nec modicam expectare possunt. Earum enim rerum, quæ mora deteriores fiunt, & servando servari nequeunt, administrationem subire, & pupillo de alimentis prospicere potest, teste *Myns. 6. obs. 39. Wesenb. in Par. d. Tut. n. 4. Hackelm. d. l.* Si remiserit testator, fortè ne panderentur secreta Patrimonii. *l. f. C. de alim. pup.* non opus habet confectione inventarii tutor. *l. 13. §. fin. Cod. arb. tut.* nisi remissio damnosa sit pupillo, & in præjudicium creditorum facta fuerit, ubi ex auctoritate magistratus tutor compelli potest ad confectionem inventarii. *l. 8. 10. ff. de confir. Tut. Salicet. ad l. ult. Cod. arbit. Tut. Clar. §. testamentum. q. 66. ver. ult.*

(c) *Nov. 72. c. ult. l. ult. §. pen. Cod. de admin. tut. l. 30. ff. de admin. & peric. Tut. l. ult. in fin. cum auth. seq. Cod. de curat. fur.* In der Reformirten vnd verbesserten Policen-Ordnung. Tit. von Pupillen/ Ao 1548. Hodie juramenti tantum commonetur, quod suo magistratui præstitit.

(d) *l. fin. §. defensionem. Cod. de admin. Tut. nihil enim magis Tutori convenit. l. 30. de admin. & peric. Tut. Schneid. n. 8. & Harp. tit. de leg. agn. Tut. ad. §. 1. n. 16.*

(e) *l. 1. ff. qui satisd. cog. l. 4. §. 1. 2. rem pup. salv. for.* non etiam per pignora: facit textus expressus in *l. 7. ff. de Prat. stip. & quod alias facultates Tutorum pupillis sint obligatae. l. 20. Cod. de admin. Tut.* adeo ut tutorem non satis idoneum, qui non tantum, quantum pupillus in bonis habet, esse putet *Jason. ad l. 1. ff. qui satisd. cog.* quod tamen arbitrio judicis relinquendum existimat *Bald. in l. ult. Cod. de mag. conven. n. 3. & rationes juris firmissimæ; quia tutores pro incerta quantitate cavent, multisq; modis pignus perire potest, ubi contra obligatus manet creditor. l. 23. ff. de R. J. & fidejussor hæredes relinquit obligatos. l. 4. §. 1. ff. de fidejuss. §. 2. Inst. h. t. modusq; conveniendi fidejussorem expeditior est quam distrahendi pignora. l. fin. Cod. de Jure Dom. imp plus cautionis in fidejussoribus est, quam in pignore; Et ita quidem satisfacere debet, ut si fidejussores habere non possit tutor, ad juratoriam cautionem non admittatur. *Gail. d. obs. 47.**

Quamvis jure Justiniano testamentarii, quia fides eorum ab ipso testatore est approbata, & ex inquisitione dati, quia ido-



nei electi censentur, satisfactionis onere non gravantur. §. 1. *Inst. de satisf. l. 3. Cod. de confirm. Tut. l. 17. pr. de test. tut.* jure tamen hodierno Constit. Imp. omnes omninò tutores, quicumq; sint, sive testamentarii, sive inquisitione dati, satisfacere coguntur, bey *Verpfändung aller Haab vnd Güter / so viel derer hiez zu von nöhten. N. N. zu Augspurg 40. 1548. Tit. von Pupilln.*

Th. XXI.

Ita suscepta Tutela obligatur Tutor, ut eam rectè administret, tùm quoad personam pupilli (a) tùm quoad res ejus, (b) negotiis pupillo adsistat, & auctoritatem pupillo præstet. (c)

(a) *Don. 15. Com. 19. Sutholt. diff. 3. aph. 31.* Consistit autem quoad personam administratio tutoris in educatione, ut pupillus rectè educetur, apud quem parens jusserit. *l. 1. §. 10. ff. de vent. insp. l. 1. ff. ubi pup. educ.* regulariter quidem apud matrem. *Nov. 22. c. 38. d. l. 1. nisi ad secunda vota transferit, quo casu, et si non expresse rit testator, magistratus causa cognita ratione conditionis, & temporis decernere tenetur, ubi pupillus sit educandus. Tr. Vol. 2. d. 9. th. 6. lit. A.* Cavendum tamen, ne apud ejusmodi homines, qui spe successionis vitæ, & pudicitia impuberis insidiari possunt. *l. 5. ff. ubi pup. Educ. (2) in alimentis præstandis. l. 3. §. Tutor. ff. de susp. tut. juxta vires Patrimonii. l. 12. §. 3. de admin. & peric. Tut. (3) informatione morum & artium liberalium, ut Præceptores præficiat. l. 4. ff. ubi pupill. educ. eisquè mercedes decernat d. l. 12. §. 3.*

(b) Actiones pupilli exerceat. *l. 22. de admin. & peric. tut. vel per se, vel constitutū actorem. l. 11. Cod. de Proc. contra alios actiones intenter, pro pupillo promittat, & solvat. l. generaliter. 10. d. 1. æris alieni rationes habeat. l. 4. 6. §. 5. & ult. de admin. Tut. Pecuniam licito fœnori exponat, vel in prædiorum emtionē collocet. l. 7. §. 3. l. 15. ff. de admin. & peric. Tut. vid. Nob. Ampl. Dn. Præsidis var. jur. decis. 13. n. 5.*

(c) In omnibus iis, quibus conditionem facere potest deteriorem, non verò in iis, quibus meliorem. *pr. Inst. de aut. tut. l. 9. ff. d.*



*ff. d. t. l. 28. ff. de pact. adeo ut ex nullo contractu mutuo pupillus civiliter obligari possit, eo inscio, & eos, quibus cum contrahit sibi obliget, ipse vero contra non obligetur. l. 13. §. 29. de Act. Emt. l. 13. §. qui a pup. ff. de publ. in rem. act. l. 8. pr. ff. de acquir. hered. l. 9. ff. de aut. tut. l. 7. §. 1. de rescind. vend. nisi in pupillo malitia aetatem suppleverit, vel dolum commiserit. l. 9. §. 2. de Min. l. 13. §. 1. ff. de dolo. vel ex R. venerit obligatio. l. 46. ff. de O. & act. vel factus fuerit locupletior. l. fin. Cod. de usuc. pro emto. l. 1. §. 4. ff. de pecul. quoties autem contractus habet lucrum vel commodum, toties praesumitur fieri locupletior. l. 47. de solut. aestimatur autem potissimum locupletior tempore actionis in iudicium deductae. d. l. 47. & datur in eum actio ex rescripto Divi Pii. l. 3. pr. ff. commod. l. pupillus pr. & §. 1. de aut. Tut. l. 1. d. t. l. 3. §. 4. ff. de neg. gest. Quia ita pupillus deteriorem facere conditionem nequit, sponte fuit, pupillum hereditatem absque tutore autore adire non posse. §. neque Inst. eod. ne lucrosam quidem. l. 9. §. 3. de aut. Tut. plus enim dispendii quam commodi habent hereditates. l. 32. ff. mand licet enim hereditas lucrosa videatur, litibus tamen & sumptibus adeo vexari poterit pupillus, ut expediat non adisse. l. 6. ff. de Min. Intelligimus autem hereditatem extranei: sui enim heredes fiunt etiam ignorantes absque facto suo, potestate juris. An autem pupillus obligetur naturaliter absque tutoris autoritate, gravissima inter Doctores movetur controversia. Nos affirmantium opinioni calculum adjicimus, cum Bach. ad Tr. p. 1. d. 6. th. 5. removens ab hac quaestione infantem, qui neque naturaliter neque civiliter obligatur, etiam tutore autore. §. 10. Inst. de inut. stip. l. 1. §. 2. de admin. tut. infantiae proximum, qui tutore autore quidem obligari potest, sine tutore tamen neque naturaliter neque civiliter, quia non habet intellectum, puta perfectum, comparative in ordine ad pubertati proximum: quibus remotis asserimus, pubertati proximum, quia doli capax. l. 111. de R. J. l. impuberem. 23. de furt. l. 5. §. 2. in fin. ad L. Aquil. & intelligit quid agat. §. 9. Inst. de inut. stip. consensumque habet, contractibus celebratis absque tutore obligari, ita tamen, ut haec obligatio jure civili effectum suum non consequatur, et si in damnum & praedudicium vergat, pupillus natura debere negetur. l. 41. ff. de cond. indeb. l. 59. ff. de obl. l. 16. pr. de min.*



*l. 39. de cond. in deb. l. 127. ff. de V. O. Quod si tertius accesserit, v. c. fidejussor, obligabitur efficaciter. l. 35. pr. ff. de Recept. l. 127. de V. O. l. 95. §. 4. ff. de solut. junct. l. f. pr. de jurejur. cessante enim ratione legis cessat etiam dispositio: sibi ipsi impuret facilitatiq; suæ, quod pro minore intercesserit. Don. lib. 21. c. f.*

Th. XXII.

Restat, ut quibus etiam modis finiatur tutela, videamus. Modi autem finiendæ Tutelæ sunt vel communes, vel speciales; quoad modos communes finitur tutela vel ipso jure, vel interposita magistratus autoritate: ipso jure, vel ratione pupilli solùm, vel ratione pupilli & tutoris simul: Ratione pupilli finitur pubertate (a) ratione pupilli & tutoris simul finitur morte, tam naturali (b) quàm civili. (c) Magistratus interpositione finitur remotione, (d) & excusatione, (e) quoad modos speciales finitur eventu conditionis (f) & temporis (g) ad quod datur tutor.

(a) Cum pupillo detur tutor ex ratione, quia propter ætatem se defendere non potest. *pr. Inst. de Tut. omninò cessante illa ratione sc. superveniente illo tempore, quo per ætatem se defendere potest, cessabit etiam tutela. pr. Inst. quib. mod. tut. fin. l. 3. Cod. qui pet. tut. & curat.* Pubertatem autem non ex habitu corporis, sicut olim, ubi æstimabatur pubertas ex forma & constitutione corporis externa, prout in homine vestito conspici poterat. *l. 32. ff. de Min. l. si alterius. Cod. Si min. se major.* non interna quadam membrorum inhonesta inspectione, sed ex annis æstimamus. Est autem terminus, quo finitur tutela in masculis, annus 14. civiliter. *l. à qua ætate. §. qui test. fac. l. 1 34. ff. de V. S. in feminis 12. pr. Inst. quib. mod. tut. fin. completus. d. l. 5. qui test. fac.* Hoc tamen secus est in Electorum filiis, qui ante 18. annum, quia major



for in Principe ad suscipienda gubernacula imperii ætas requiritur. *Plat. 3. de legib.* tutela non liberantur. *Aur. bul. §. inter solutiones.* Quamvis jure antiquo in perpetua tutela erant fœminæ. *Ulp. frag. tit. de tut. Cic. in orat. pro Euc. Flac.* nec quicquam alienare poterant sine tutore, hæud secus atq; pupillus. *Cic. pro Mar.* Jure tamen novo non secus ac mares liberantur à tutela, & quidem maturius: At cur maturus? an quia mala herba citius crescit. *uti vulg. Atcur,* an ob exilitatem sexus, sicut exilia poma celerius maturescunt, robusta serius. *Macrob. 7. Sat. 7.?* Dicimus, quia viris sunt humidiores, citius pubescunt, & viripotentes censentur, ea de causa maturius liberari à tutela. *l. 13. §. f. ff. de Tut. & Cur. dat. l. 7. C. qui pet. Tut.*

(b) §. *simili modo.* *Inst. quib. mod. tut. fin. l. nisi finita. ff. de Tut. & rat. dist.* quia enim mors ultima linea rerum; omnia solvit, & quæ personæ cohærent, extinguit. *c. Priv. de R. J. in 6to. l. 196. ff. de R. J. l. 13. ff. sol. mat. l. 21. ff. de usu & hab. §. solvitur. Inst. de Societ. §. 3. Inst. de usufr.* etiam superveniente morte vel in persona pupilli, vel tutoris finietur Tutela. Morte pupilli, quia Tutor principaliter personæ datur. §. 4. *Inst. qui test. tut.* qua sublata meritò tutela expirat. Morte tutoris, si pupillus pubertati proximus, si non fuerit, non finitur; sed alius surrogatur, & tutela ad hæredes, quales, non transit. *l. 16. pr. de Tut.*

(c) Capitis Diminutione vel in persona pupilli, vel tutoris; In persona pupilli qualibet, etiam minima. §. 4. *quib. mod. Tut. fin. l. pen. §. ult. Cod. de adop. l. 14. de Tut.* requiritur enim in tutela persona sui juris, pupillus autem parvulus minimam cap. diminutionem, personam facit inhabilem, quia sui juris esse desinit. In persona tutoris, maxima & media capitis diminutione pereunt omnes tutelæ. §. 4. *Inst. quib. mod. tut. fin.* minima autem tantum perit legitima, *καὶ ἐξ ὀνόματι* ita dicta sc. agnatorum. *l. 7. pr. de cap. dim. l. 2. Cod. de legit. Tut.* quia sublata causa jure sc. agnationis, tollitur effectus, sc. Tutela. Quia autem tutela tollitur per amissionem agnationis, Patronorum, fratrum atq; parentum tutelæ novis legibus, Anastasiana *l. 4. Cod. de leg. Tut. & Senatusconsultis. l. 1. §. 8. ad SC. Tertul.* introductæ non peribunt, neq; enim patroni jus patronatus amittunt. Hodie sublata differentia inter jus agna-



agnationis. Nov. 18. nulla tutela minima cap. dimin. perimitur. l. 4. Cod. de leg. Tut. l. Tutela. 7. ff. de cap. min. An autem transfuga maneat tutor, hoc loco controvertitur? Verior est negativa sententia, quia mediam patitur cap. deminutionem, & jus postliminii & civitatis amittit. l. 5. ff. de cap. min. l. 19. §. 4. & 7. de capt. & postlim. revers. si transfugit tanquam proditor patriæ, à Romanis deficit, & hostibus auxilium præbet, qui potius pœna gravissima puniendus, quam ad Tutelam admittendus: Secus est in eo, qui nõ animo prodendi, sed bono consilio, ut hostium vires & conditionem exploret, transfugit, hunc enim tutorem manere posse affirmatur. l. 15. ff. de Tut. Magn. Dn. Ordin. Exerc. 4. q. 9.

(d) Hodie quilibet Magistratus, qui sibi potestatem dandi tutores vendicat, de hoc crimine cognoscere potest, quia quodlibet eo modo, quo colligatum est, dissolvi potest. l. nihil tam nat. ff. de R. 7. Ad accusationem admittuntur omnes, quia est quasi publica. l. 1. §. 6. ff. l. 6. Cod. de Susp. Tut. §. 3. Inst. d. t. etiam mulieres. §. 3. modò sint puberes. l. 17. ff. d. t. & pietate necessitudinis ducantur. §. 3. Inst. de susp. Tut. l. 1. §. 7. ff. d. t. imò sine accusatione, si apertis argumentis constet de suspitione, ipse iudex removere poterit tutorem. l. 3. §. 4. ff. de Tut. vid. t. t. ff. & Inst. de susp. Tut. An autem tutor remotus ob culpam latam fiat infamis, accerrima & magnis difficultatibus involuta inter Dd. est controversia? Magis arridet negativa, propter textum expressum. §. 6. Inst. de susp. Tut. ubi generalitèr & indistinctè culpa excipitur, & propter dolum tantum tutor fieri dicitur famosus: lata autem culpa propriè dolus non est, sed à dolo distinguitur. l. 15. qui 2. Cod. de in lit. jur. l. tutori. 210. Cod. de neg. gest. l. quicquid. 7. Cod. arbit. Tut. Quanquãnulli juris autores ejusmodi tutores famosos affirmant, quia dolus & lata culpa comparantur. l. 1. §. 1. Si mens. fals. mod. culpa dolum repræsentat. l. 1. §. 2. qui test. lib. l. 29. ff. mand. dolum accedit. l. 11. de incend. ruin. quandoq; dolus simpliciter dicitur. l. quod Nerva. 32. ff. depos. Verum diversa est tutelæ à contractibus ratio, verum hoc quidem est in contractibus, & quasi, item in actionibus seu accusationibus descendentibus ex delicto, ubi tamen pœna est pecuniaria, non autem corporalis, cui assimilatur infamia. Magn. D. Ordin. Ex. 4. q. 17.

(e) §.



(e) §. 16. 7. de excus. & omnes quidem, cujuscunq; generis, qualitercunq; dati fuerint. d. §. 16. sive à testatore, sive à magistratu, sive ex lege ipso jure tutores extiterint, ut legitimi, qui licet ipso jure tutores sint, onus tamen suscipere non coguntur, sed se excusare possunt. l. 1. l. 4. C. de leg. tut. l. 9. C. qui dare tut. l. 9. Cod. de Excus. tut. l. 3. §. 8. ff. de leg. tut. Nov. 118. c. 5. dilationi enim legis hæc conditio sc. si se non excusaverit agnatus, subesse putatur. Bach. com. Inst. n. 4. Etsi ad tempus nonnunquam se excusent. §. 13. Inst. de Excus. potest etiam esse vera excusatio, quæ tutelam ad tempus perimit. l. 10. ff. eod. §. 2. Inst. de Excus. tut. neq; omnes legitimi, ut quidem putat Cujac. ad tempus se excusant. Quid enim si tres habenti tutelam deferatur quarta? Excusatio autem locum habet; si tutela jure fuerit constituta, si non fuerit, tutor excusatione non opus habet. l. 13. §. 12. ff. de Excus. Quibus autem modis excusentur tutores, vid. t. Inst. de Excus. tut.

(f) §. 2. Inst. quib. mod. tut. fin. l. 14. in fin. de tut. l. 8. §. 7. ff. de test. tut. quia autem actus legitimi non recipiunt conditionem, neq; legitima, neq; dativa conditione finitur, sed tantum testamentaria.

(g) l. 14. de Tut. l. 8. §. 1. de test. tut. finito autem tempore ad quod dati sunt, ipso jure tutores esse desinunt. l. 3. §. 7. ff. de susp. Tut.

*Et hæc de Tutelarum materia dicta in presentiarum sufficiant. DEO ter optimo maximo, quo sumus exorsi, sit laus & honor, & gloria in sempiternum.*

---

*Humanissimo atq; Literatissimo Dn. Respondenti,  
inquilino & amico meo pl. dilecto.*

**P**upilli dum jura tenes, dum munera tractas  
Tutorum, en Themidos ferta perampla feres.  
Ita ex animo gratulor  
Præses.



**S**inn wol darauff/ vnd tragt es fleißig ein:  
Des Mündleins Recht/ der Vormundschaft Gefehrden.  
Wird Themis nun einmahl ein Mündlein seyn/  
So sollt ihr selber dero Vormund werden.

Glückwünschend fertigte diß

Johann Thomassen J. U. Doctorand.

**N**icht süß-verblümte Wort  
Nicht Mund vnd Hände drücken  
Laß/ Schöne/dich bestücken/  
Der Liebe rechter Ort  
ist einzig im Herzen  
vnd brennet wie Kerzen.

Nicht Donner/ Hagel Rauch  
Vnd was sonst greulich/ fluchen  
Den Feind bey'm Ofen suchen/  
Ist tapffrer Helden Brauch;  
besondern es wagen  
Frisch fechten ohn Zagen.

Der Wollust süßer Giff  
Berauscht nicht Pallas Söhne  
Der Eitelkeit Betöhne  
Auch nicht die Ohren triff  
Nur fleißiges Schwitzen  
wil Helicons Spitzen.  
Nun verliebtes Musen-Kind  
Das ich hie auff Phöbus Schulen.  
Sehe mit Frau Themis bulen  
Freund/ dein Lieb ein Kränklein wind  
Dein embsiges Studierē  
mit diesem zu zieren.

Verfertigt in Eil

F. Joell.

**H**em, prudenter agis perquam! quod; candide amice,  
Dum de Tutelis mens tibi disserere est;  
Inquam, quod magni te subdas Praesidis alme  
Tutelæ, sub qua tutus ab hoste fores.  
Ille tui curam, quam sedulitate probare  
Vult, geret, & fidus stans tibi Tutor erit.  
Tu, quò stante viro, Telis licet undiq; circum  
Fusus es, ast ilicò Tela inimica cadent.  
Sic nihil oppositum vibrantia spicula viroꝝ,  
Tu modò sis valida mente, nocere queunt.  
Euge! tuis igitur DELIS ausis adsit honestis  
Compressor, ut laudis digna brabea feras.

Ita amico & Conterraneo suo di-

lecto ὀλοκαργίως pre-

catur

Johannes Gäncker.




ULB Halle 3  
003 260 119




*WOM*











B.I.G.

Farbkarte #13

12908

164743

23/3

D. T. O. M. A.  
DISPUTATIO JURIDICA,

DE  
**TUTELIS,**  
Quam

Consensu & autoritate Magni-  
fici, Nobilissimi, & Amplissimi JCorum Ordi-  
nis, in Illustri celeberrimaq; Salana  
Universitate,

P R Æ S I D E

*Viro Amplissimo, Excellentiss. atq; Consultissimo,*

**DN. CHRISTOPHORO PHI-  
LIPPO Richtern / Jcto, & P.P. cele-  
berrimo, Consiliario Saxonico gravissimo, Facultate  
Jurid. Seniore, Curia Provincialis & Scabinatus Ad-  
sessore meritissimo, Domino Patrono, Pro-  
motore, ac Præceptore suo summâ animi  
observantiâ atatèm colendo,**

*In Amplissimo Jctorum Auditorio*

*placide ventilationi submitit*

**CHRISTOPHORUS SIGISMUNDUS HEBERLINUS,  
Ratisponensis.**

*Die Junii, horis consuetis.*

A N N O

**M. DC. XLVII.**

**JENÆ Typis STEINMANNIANIS.**

